

(pilis 3—4 pro qmm), subtus glabris, foliis summis autem basi ovata vel quasi subcordata, supra subtomentosis, subtus  $\pm$  dense pubescentibus; petiolis 3—4 (5) mm long., sat latis, inferioribus saltem subtus glaberrimis, superioribus autem utrinque pilis sat longis tomentosissimis tomentoque in costam ascendenti (in foliis summis costa supra ad apicem tomentosa); stipulis  $4 \times 2$ — $9 \times 3$  mm, fere semicordatis vel semiovato-lanceolatis, serratis, glaberrimis vel summis supra villosis; gemmis  $4$ — $3 \times 2$ — $2,5$  mm, teretibus, sat adpressis, pilis saltem 1 mm long. subrectis dense tomentosissimis; ramulis novellis pilis 0,3—1 mm long. vel ultra,  $\pm$  intricatis tomentosissimis (sursum densius); ramis fruticis 230—400 mm long. adscendentibus, diametro 3—5 vel 7—8 mm longo ad radicem.

Ad *S. hastatam* longitudine styli, parte superiore capsulae glaberrima, folii glabritie serraturaque nec non stipulis magnis accedit — ad *S. reptantem* autem lobis stigmatum vulgo elongatis, tenuibus, angustis, bifidis, ventre capsulae tomentoso, pedicellis brevissimis tomentosissimis vel vix nullis, nectariis internis bifidis lobisque divaricatis (nectariis *S. reptantis* typicae trifidis), nectariis externis (si quae adsunt) minimis, vix conspicuis, integris (iis in *S. rept.* typica bifidis), pilis squamae sat rectis, petiolis valde brevibus, nec non foliis summis saltem supra  $\pm$  villosis.

A *S. reptante*, cui habitu similis est, differt: stylis longioribus, capsulae parte dimidia glaberrima, foliorum inferiorum glabritie, nec non serratura fol. omnium atque stipulis magnis, serratis.

Sibiria: prope flumen Jenisei extra oppidum Dudinka (Dudino), Lat. septentr.  $69^{\circ} 25'$ , VIII. 4. 1921, leg. S. J. Enander. (E.)

11. *S. incana* Schrank var. *angustifolia* Cariot forma *angustissima* Toepff. n. f. in Schedae ad Salicet. exsicc. no. 581 (1924). — Folia angustissima, 2—3 : 50—100 mm (etiam in apoblastis solum 3—5 : 60—120 mm). Huius formae vidi specimina sterilia etiam ad Malmö culta leg. Joh. Wide. (T.)

12. *S. purpurea* L.  $\times$  *serpyllifolia* Scop. R. Görz in sched. 1914. — Fruticulus ca. 40 cm altus; cortex fusco-castaneus, splendens; folia ramorum inferiorum minima ad 5 : 2 mm, superiorum majora, ad 5 : 15 mm, omnia obovata superiore parte sparse serrata vel dentata, apice obtuso vel retuso, supra sordide viridia, subtus pallidiora, utrinque (sub lente) punctata, costa flava (sicca) supra leviter impressa, subtus valde prominente, nervis utrinque elevatis.

Ad *S. purpuream*: foliorum forma (in surculis vegetis) et serratura (apicem versus) — ad *serpyllifoliam*: foliis minutissimis, internodiis incredibile quantum contractis, foliorum nervatura (costa diaphana) atque firmitate, ramulorum colore. (G.)

Tirolis merid.: Pfitscher Tal infra St. Jakob in Purpuretis. 1300 m. — 20. VII. 1914 leg. R. Görz.